

www.e-rara.ch

Disputatio medica inauguralis de catarrho suffocativo

Metzger, Georg Balthasar

Basileae, [ca. 1650]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-18127>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

De

CATARRO
SUFFOCATIVO,

Quam,

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA

AUTORITATE & DECRETO
Magnifici & Gratosissimi Collegii Me-
dici, in perantiqua Rauracorum
Universitate,

Pro Summis in MEDICINA Honoribus
& Privilegiis DOCTORALIBUS
legitimè impetrandis,

Solenni examini exponit

GEORGIUS BALTHASAR *Wetzger*
Suinfurto-Francus.


Ad diem 23. Octobr. Anno M DC L.

Horis locoque solitis.

BASILÆ, Typis GEORGI DECKERI,
Universitatis Typographi.

Catalog





V I R I S

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis
& Prudentissimis,*

DNN. CONSULIBUS,

cæterisque **SENATORIBUS**

Imperialis Reip. Suinfurtensis

Gravissimis,

PATRIBUS Patriæ meritissimis,

DOMINIS & PATRONIS suis ætatèm

Venerandis, &c.

Salutem & felicitatem perpetuam!

M Eritò *VOBIS* à *Vestro* municepe debebatur hoc levidense ingenii munusculum, **PATRES PRUDENTISSIMI.** Vendicat enim Patria suo jure veluti debitos sibi suorum civium ingeniorum partus; non secus ac bona filiorum parentes, aut servorum prolem Domini. Imò quicquid ubiq; à suis civibus partum est honoris aut laudis, Patria in suo glorioso computat censu, & veluti propriis honoribus gaudet. Accipite igitur serenis frontibus hoc qualecunq; erga vos devotissimi obsequii mei monumentum, mea q; observantiæ ac venerationis insigne, me q; æternò vicissim præsidio, vestro q; patrociniò tueamini, Valetè.
Basilea d. 15. Octobr. 1650.

V. V. Nobilit. & Amplit.

observantissimus

Georg-Balthasar Wetzger.



Σ Υ Ν Θ Ε Ω .



I quis unquam morbus vigilantem agendi solertiam, præsentemque Medici & animum, & gladium implorare visus est, *Catarrhus* certè *Suffocativus* non minùs implorat; horrendum malum, quod exercitatissimos in arte Practicos trepidare non rarò facit. Affectus autem est, qui vel planè Veteres latuit, quod de Catarrhis in genere, Homeri tempore primùm visis, scribit *Socrates* 3. *de republ.* vel non ita frequens accidit, quod placet *Hoffmanno* l. 1. *de loc. aff.* Hujus in præsentem contemplationem inituri, ut felicemente & manu progrediamur, Deo ter opt. max. ardentibus votis supplicamus.

T H E S I S I.

Ncidimus autem in ipso statim limine in ominosa affectus nostri nomina, tam à Græcis, quam à Latinis petita. Illis κατάρρῳ πνιγῶδης, à symptomate urgente, suffocatione, συντόμως ἀπολλύς, 3. aph. 12. quod inter vitam & mortem vix horula intercedat, salutatur. His dicitur *præfocans desillatio*, *Mercurial. tom 1. consil. catarrhus magnus, præcept. J. Cas. Claud. tr. de catarrh. subitaneus, Hoffm. l. d. ca-*

lidus & acutus Avicenna, quod calidiori ferè causæ debeatur. *Nimbus microcosmi Steph. Castrens. l. 4. de meteor microcosm. cap. 14. imber & tempestas cerebralis, Francisc. Perla Calviens. comm. in Hipp. de loc. in hom. l. 2. tom. 1. quòd procellosi imbris instar, de cœlo microcosmico in pulmonum cordisque vias depluat. Quæ singula nomina subdolam hujus mali indolem satis superque arguunt.*

II. Describimus: quod sit *humoris excrementitii præceps & p. n. defluxus à cerebro in organa respirationis, & ipsum quandoque cor, cum difficili respiratione & suffocationis metu, vocis læsione, sine sensû & motû deperditione, à læsis aut frustratis cerebri facultatibus dependens.*

III. Genus agnoscimus *defluxionem p. n.* quòd ipsum in symptomatum classem, & quidem tertii ordinis, excretorum sc. referimus cum *Gal. ex 3. de sympt. caus. c. 4.* parum facientes, an aliò respectu morbi naturam induere, an causæ rationem subire possit, quod ab aliis anxie disputari videmus. Defluxio autem præceps & subitanea est: hinc orthopnoeam à foro nostro repudiamus, quæ vulgò, teste *Bartili in Exerc. de catarrh. 3. catarrhi suffocativi* nomine venit, quam tamen à lento catarrho derivat *Hoffmann. lib. c.* non successiva, ne cum asthma confundamus. Vocis imminutionem, aut pro causarum vehementia, totalem sæpe abolitionem sequi, experientia rerum magistra docet, dum ægri linguam in manu gerunt, nutuque animi sensa aperiunt: nec ratio abludit, cum læsò organò & vocis materià deficiente, ipsam quoque vocem tirubare necesse sit. Non possumus ergo non mirari, quod *Hoffmann. l. d.* mentem cum voce in catarrho suffocativo integrè constare docuerit. Aphonia verò plures affectus comitari solet, apoplexiam, epilepsiam & similes: dispiciendum proinde erit, quid ratione hujus symptomatis *affectus noster* cum prædictis cognati, quid diversi aut pugnantis habeat. In apoplexia, præsertim forti, totalis animalium functionum privatio notatur: in epilepsia, motûs adest depravatio cum torsione & membrorum convulsione: viget autem & motus & sensus in Catarrho suffocativo.

IIII. Cæterum, ut ad intimiorem defluxionis nostræ cognitionem deducamur, quinq; potissimû, quæ in omni fluxione occur-

ne occurrunt, videamus, oportet, 1. mobile. 2. movens. 3. terminum à quo. 4. terminum per quem. 5. terminum ad quem.

V. *Materialem causam seu mobile constituimus humores excrementitios, quibus pituitæ vulgò nomen tribuitur. Verùm salvò aliorum iudiciò, nos cum Carolo Pisone in præfat. de morb ex serosa collævie ort. serosum humorem maximam partem hujus defluxionis impetuosæ materiam, accusamus, cujus hæc genium & ingenium productionis suæ modò, motuque subitanè non obscurè dolere videtur. Serum hoc cùm inevitabili necessitate ex ciborum & potùs heterogeneis, aquosis & salinis partibus, (puram putam enim aquam esse Carolo Pisoni largiri non possumus) in corpore generetur, si negligenter per ordinatas naturæ lege vias vel educatur vel dissipetur, infaustò se conjugio humoribus alimentariis maritans, simul cum ipsis per vasa ad omnes corporis partes, præcipuè tamen cerebrum, ob multiplicem, quæ gaudet, vasorum implicationem, decurrit. At cùm in hujus nutritionem abire nec debet, nec potest, quippe ἀνεπιτήδιον, ἀκέρητον & ἰσχυρὸν, ut loquitur Hipp. l. de prisca medicin. nec ob causas pòst dicendas insensibiliter transpirare, aut sensibilibiter exudare valet, pœnitendas cerebro turbas movet, variarumque fluxionum causam præbet. Et uberem hunc feri proventum in catarrhosis, abunde satis colligere licet ex venæsectione, quæ sanguinem copiosissimâ aquâ hâc dilutum, oculis non rarè exhibet.*

VI. Interim nec alios excrementitios humores hoc in negotio ociosos esse credimus. *Pituita* quantum tribuendum sit, vel ex eo claret, quod eam solam omnium morborum κατὰ πρῶτον fontem proclamat Plato in Timæo, quod Gal. 8. de placit. Hipp. & Plat. c. 5. repetit, utpote quæ frigida & humida in officina cerebri frigida & humida copiosissima elaboratur. *Biliosos* etiam humores excludere nequaquam possumus, nisi contra experientiam biliosos Autorum Catarrhos, aut contra sensum defluentis materiæ amaritiam impudenter negare animus sit. Tenuis bilis humor est, adeoque ad fluxionem non difficilis. Nec generatrix in cerebro causa longè petenda est, biliosa cerebri intemperies, continuarû quasi defluxionum mater, apud

Gal. 6. te tuerd. sanit. & Aërium 8. ferm. cap. de catarrh. licet calidam materiam hanc cerebro frequentius ab hepate communicari, probabile sit. Melancholiam qui ex caufarum materiarum catalogo expungunt, nimiam crasfitiem, adeoque ejus ad motum ineptitudinem pertimescunt. Sed humor est, nec tam crassus, inquit Hoffm. de usu lien. ut nobis imaginamur, qui per arterias emulgentes in affectibus splenicis copiosus sæpè educitur.

VII. Licet autem excrementitii hujus humoris pro caufarum diversitate magna deprehendatur diversitas, tam in substantia, quàm qualitate, sapore, odore, &c. non tamen nisi subito & confertim ruat, materiæ affectûs nostri nomen meretur.

VIII. Hujus impetuosi motûs causa quæ sit, siue *movens*, sequitur indagandum. Secundùm *Philosophum. 7. phys. 10.* humores vel *insitam virtute*, vel *pulsionis ope*, aut *tractionis vi* moveri, necesse est. *Insitam fluxionis virtutem* humoribus denegare videtur *Gal. 7. ad Glau.* dum scribit: *humor non fluit à se & propriò impetu, aliàs omnis fluxio ad inferiora fieret, & sic perpetuò hominum pedes essent tumidi, caputq; sanguine & ceteris excrementis expurgatum.* Quò commoti *Da.* communiter omnem motûs in humoribus causam à parte mandante & recipiente, exclusâ mobilis conditione, petunt, omnemque fluxionem vel per *ᾠσιν* vel *ἄλξι* fieri volunt. Verùm enim verò humorib. insitam hanc fluxionis vim adimere, est, naturali eos gravitate suâ & humiditate exuere, adeoque humores esse negare. Naturalis humiditatis ratione, vi cujus propriò terminò contineri nequeunt, humores diffluunt, naturalia sua receptacula, ruptis ob quamcumque causam, apertisque vasorum osculis, deserunt, & ponderis impulsu, nullò prohibente, quâ via datur, decidunt, idq; longè promptiùs contingit, si à causis adjuvantibus, de quibus mox, viæ aperiuntur, aut materia fundatur. Hòc modò humores suòmet impetu deorsum ferri, languente retentrice, in senibus decrepitis, aut infirmisimò capite præditis aliis, in confesso est, viditque *Schenck. l. 1. c. 277. in viro 60. annor.* catarrhò suffocativò extincto, magnam lentæ & viscidæ pituitæ saburram ex ore profluentem.

IX. Feliciùs tamen & frequentius *pulfionis ope* motum hunc promoveri, nequaquam inficiamur, cùm facultas cerebri expultrix, quam rectè *Gal. de caus. morb. c. 6.* & alibi, naturaliter non solis animalium partibus, sed & plantarum particulis tribuit, à restagnantis p. n. materiæ vel copia, vel qualitate, vel utroque, quas expulsionis causas proponit *Gal. 3. de sympt. caus. c. 4.* irritata, ad alium locum congestas sordes deturbat.

X. *Tractionis* officium commendant plerique *Dd. similitudini, calori & dolori.* Similitudini nullus hic locus est. At nec caloris tractionem satis capimus, nisi eum sub occasionalis causæ ratione, ut explicat *Sennert. instit. l. 2. part. 2. c. 11.* adeoq̃ue ex accidenti agere dicamus, quod agit. Partem enim rarefactam, ad excipienda excrementa aliena disponit. Ob *dolorem* irruiat quidem humor in partem copiosior, at hoc non fit ob dolorem ipsum, sed ob causas, quibus dolor fit, intemperiem v. g. cal. quæ partem debilitat & repellendis à se humoribus imparem reddit. videatur *Sanctor. Sanctor. l. 3. meth. vitand. error. in medicin. Conring. tract. de generat. sangu. c. 42.*

XI. *Terminus à quo cerebrum est, arx & metropolis pituitæ, Hipp. l. de princip.* Non imus inficias, humores ex aliis sæpè locis impetu furioso transmissos, organa respirationis obruere, vitæq̃ue insidias struere posse, quod probat *Sennert. l. 2. prax. part. 2. c. 4.* *Hydropicorum* pedibus subitò detumescensibus, quis non animadvertit, suffocationem, orthopnoeam, tussimque periculosissimam *7. aph. 46. 6. aph. 35. Gal. 2. prog. 3.* excitari, a quosâ illâ sentinâ per *μετάστασις* ad pulmones effusâ, item fieri ex dysenteria aut diarrhœa intempestivè suppressis, quotidiana ferè experientia confirmat. Sed hoc rheumatismus potius est, & *μετάστασις*, quàm catarrhus propriè dictus, qui supervacanei è capite humoris defluxionem notat *Gal. 3. de sympt. caus. c. 4.* nec tentat hominem, illæ sò cerebrò, *Paparell. de catarrh. l. 1. c. 1.*

XII. Concurrit autem cerebrum ad malum hoc ovum excludendum, tum propriò vitiò, ut *subjectum generationis*, tum aliorum viscerum infortunio, ut *causa collectionis*. Illud contingit, dum *1. concoctrix* cerebri laborat, ob intemperiem plerunq̃ue *frigida & humidam*, quæ alimenti malè concocti & in phlegma mutati

mutati mater est. 2. *Alimenti vitio* concoctrix integrâ functione suâ frustratur, vel nimia copiâ oppressa, vel alienis qualitatibus offensa, quod fit ab acrib. & vaporosis promiscuè ingestis, frigidis, viscidis, crudis, &c. inter quæ non ultimum locum merentur, oleracea, fructus *ωζῆρις*, pisces & ipsa aqua. Alienæ partis culpâ *collectionis causa* accusatur cerebrum, v. g. ventriculi, epatis, lienis, uteri &c. quæ viscera, quicquid in se vaporis, quicquid vitiosi humoris generant, ad cerebrum ablegant, tanquam ad tectum fumosæ domui superimpositum, quos si cerebrum vel ob retentricem minùs vegetam, vel expultricem languidam, aut retinendi aut dissipandi vires non habet, aut ob organicum morbum viæ ordinariæ non patent, vel non sufficiunt, ilias morborum enascitur, materiâ ad varias partes ruente, prout in has vel illas pronior via patet: & quidem si organa respirationis aut cordis spiracula furiosò impetu opprimit, *catarrhum suffocativum*, de quo nobis sermo est, parit.

XIII. Magis autem opportuni sunt ad colligendas has sordes, quorum corpora ex pugnantis temperamenti membris contexta sunt, quibus v. g. cerebrum frigidum, ventriculus verò cum epate calidus est; vel contrà, quibus hepar cū ventriculo frigore torpet, cerebrum verò calore fumat. Adjutrices tamen manus porrigunt & alia, quæ vel colluviem hanc quoquo modo colligunt, aut collectam ad descensum disponunt. In primam classem collocatur ætas senilis 3. *aphor.* 31. puerilis 3. *aph.* 26. in *comm. Gal.* sexus it. muliebris. Conspirant *ex non naturalibus*, somnus longus, maximè meridianus in non assuetis, lucubrationes nocturnæ, diurnum otium, crapulæ, &c. quæ impeditâ excrementorum evacuatione, aggestionem strenuè juvant. Collectam verò materiam ad fluxionem invitant, intemperies aëris calida, tempus vernum 3. *aph.* 20. flatus austrini 3. *aph.* 5. 12. 17. onerosa capitis tegumenta, olfactus calidorum, animi pathemata, quæ cerebrum calefaciendo, humores attenuant & meatus aperiunt. Frigida partim occludunt poros, partim vapores condensant, & in humores vertunt: hoc præstant aër frigidus, venti boreales, medicamenta frigida capiti admota, pedum frigiditas &c. Huc facit omne,

omne, quod cerebrum vehementer movet, v. g. clamor, nimium corporis exercitium, & similia. Ex p. n. est dolor capitis diuturnus, febres humores frigidos in corpore liquantes, quâ ratione tertianam non rarò catarrhum suffocativum sequi, notat *Senner. de febr. l. 2. c. 17.* Scabies in infantib. ad interiora fugiens, apud *Fabrit. Bild. cent. 3. obs. 80.* paralysis ex colica, apud *eund.* in catarrhum suffocativum degenerant. Sutararum quoque defectus his annumerandus, de quo vid. *Columb. l. 1. anat. c. 5.*

XIV. *Terminus per quem bivius est:* fluit enim materia præceps vel 1. per vasa. vel 2. per ductus alios manifestos. Illa sunt vasa cordis jugularia dicta, præsertim interna, per quæ, veluti per regiam viam ad focum vitalem opprimendum humor catarrhalis furibundus ruit. Ad hanc jugulantis catarrhi speciem trahi debet ille *Hipp. κατὰ τὴν συντόμως ἀπολλύς*, senibus familiaris 3. *aph. 12.* Patentes ductus à Riolano tredecim numerantur; pro potissimis tamen nos organa deducunt & laryngem agnoscimus, unde in pulmonum bronchia procella decumbit.

XV. Restat terminus ad quem, Organa sc. respirationis & cor. Illa secundum *Gal. 4. de loc. aff. 7.* numerantur pulmones, aspera arteria, septum transversum & muscoli thoracis: ex quibus tamen pulmones præcipuum respirationis organum, frequentissimum huic malo hospitium præbent, tum ob raritatem, mollitiem & spongiositatem, quæ partis constitutionem naturâ debilem arguit, tum ob sitûs viarum quæ ad hos oportunitatem. Nec verò musculos thoracis omni semper culpâ vacare dixerim, cum non rarò in ipsas has externas partes materia se insinuet, & periculosissimum affectum, læsâ ex accid. respiratione, minetur, ut exemplum est apud *F. Plater. l. 1. observ.*

XVI. Ad Signa properamus. Diagnostica præsentis catarrhi suffocativi, præter communia, v. g. screatum, sternutationem crebram, continuum sputum, sunt: dolor pectoris gravativus viscerum substantiæ proprius, vocis læsio, tussis & respirationis difficultas cum metu suffocationis. Tussis in principio ferè defluxionis affligit, dum materia furiosè depluens meatuum obstructionem minatur, quam vehemens asperæ arteriæ, quæ exquisitò sensu ad molestorum expulsionem vigilat, efflatio,

multique spiritûs celerrima explosio excipit, ut repellantur irritamenta humorum noxia. Quod si verò materia omnes statim vias obturet, tussis nulla sequitur. Pervias enim vias quærit. *Respirationis anxia* causa in spiritalium & vitalium organorum angustiam conjicienda est: nam cum bronchia pulmonum alienò corpore obsessa ad hauriendum sufficientem spiritum dilatari satis non possint, ususque urgeat, anxiam & crebram respiratione natura, quod unam consequi non potest, compensare cogitur.

XVII. *Causarum* quoque varietatem discernere per sua signa opus est. *Calidam causam* producit: sensus ardoris, faciei rubor, amarities aut salsedo linguæ molesta; victus præcesit calidus, cui & aëris constitutio & temperamenti conditio respondeat. Quod si v. facies palleat, materia defluens in sipida planè sit, nec aliud caliditatis argumentum adsit, *causæ frigiditatem* indicat. Si per se laboret cerebrum, cognoscitur, ex nativa cerebri debilitate, antecesserunt causæ, quæ cerebrum potissimum afficere aptæ natæ sunt. Aliarum partium culpam propria sua signa manifestant.

XVIII. *Prognostica*. In genere omnis quidem catarrhus suffocativus affectus est terroris & periculi plenus, sive loci affecti nobilitatem, seu actionis læsæ necessitatem respicias; vita enim & respiratio pari passu ambulant, *Gal. de loc. aff.* adeoque *Seneca in epistolis*, per quem omnia corporis pericula transferant, nullum malum hoc videbatur molestius. *Aliud enim* inquit, *quicquid est, ægrotare est, hoc est animam agere*. Non tamen omnis statim cum armis abjiciendus est, cum difficiles fiant judicationes in acutis, *secundum Hipp.* quorum naturam æmulatur affectus noster. Sæpe enim ætas, vires, corporis constitutio, & oportunus remediorum usus in desperatis etiam morbis bene sperare jubent. Quod si igitur ægrum habeamus juvenem, viribus constantem, pectore amplo præditum, ad vomitum pronum, mitioribus symptomatibus oppressum, si maturè suppetias ferimus, non rarò de morbo triumphamus; contra, si senex, obesus, angusti pectoris æger sit, si ad cor procella ruat, si vires in validæ remedia excludunt, res in angusto est.

XIX. Sed satis de his. Ordo nunc postulat, ut ad *curatio-*
nem descendamus: ubi geminum Medici officium occurrit,
alterum in ipso paroxysmo; alterum extra eum. Primas da-
bimus ei, quod ipsum suffocativi catarrhi paroxysmum respi-
cit. Hic omnis labor impendendus erit, ut materia respiratio-
nis foco incumbens illico tollatur, cum impetu ruens in plu-
res partes distrahatur, revellendo, derivando, catarrhus sistatur
& absumatur, partesque, recipiens & mittens, roborentur.

XX. Primum omnium igitur procella respirationis foco
incumbens, illico tollatur. Quò v. auxiliorum genere id præ-
standum sit, inter *Autores* non convenit. Potissima Practico-
rum pars ad clysteres revellentes, extremorum frictions &
ligaturas, sanguinis extractionem & humorum purgationem
statim confugiunt. Verùm enim-verò, circa hanc curandi
methodum non immeritò quis hæsitare potest, qui revulsio-
nis naturam, & symptomatis urgentis conditionem considerat.
Ita enim habendum de his. Pars recipiens ob impeditæ actio-
nis necessitatem, omnem statim curam ad se trahit, & oneris,
quò premitur, subitam exonerationem indicat: at hoc per re-
vellentia commodè fieri nequit, cum revellentium sit, mate-
riam non illapsam, sed influentem, & ad partem tendentem,
non extra vasa, sed in vasis fluctuantem, non à parte recipien-
te, sed mandante retrahere, *Sennert. inst. l. 5. c. de revuls.* At reci-
pienti hic ante omnia succurrendum, & materia pulmonibus
jam inhærens præsentaneò præfidiò removenda est. Sed quis
à revellentibus v.g. clysteribus aut purgantibus hoc auxilium
petat? cum materia, quæ in pectore hæret, ita facile per alvum
evacuari non possit, *Sennert. lib. 2. prax. part. 3. c. 2.* In pleuritie
quæ factæ leguntur interdum à natura per alvum evacuatio-
nes, Medico vix imitandæ veniunt. Venæ sectionem institue-
re est materiam in venis agitare: at hæc catarrhalis sentina
per manifestas potissimum vias in pulmones decumbit. Idem
de frictions & ligaturis judicandum erit, quæ humores ad
partem ruentes impedire, in pulmonibus verò contentos
agitare non audent. *Id. l. d.*

XXI. Videndum ergò, cuinam remedio meliori jure
hoc muneris competat. Nullum autem aliud præter vomito-

rium commodius videtur. Vomitu enim in *Catarrho suffocativo* nihil putatur esse præsentius, teste *Heinr. Petrao in dist. nosol. de catarrh. & Jonston. id. pract. l. 8. cap. de catarrh.* Existimamus igitur, si videamus ægrum viribus valentem, juvenem, vomitûs adsuætu, & materiam pulmonibus innatantem, eum ad vomitionem statim invitandum esse. Quò ipsò naturam duces sequimur, experientiâ Clariss. Practicorum nitimur, nec rationibus destituimur.

XXII. *Naturam* quò rectè præit, Medicus si potest, meritò sequatur. At hæc non semel has nobis vias monstravit, dum spontaneò commotò vomitu, asthmaticum paroxysmum fugavit, cujus rei oculatum testem se sistit *Sennert. l. 2. prax. part. 2. c. 5.* Nec experientia Clariss. Practicorum nos deserit. Desperatum hòc remediò ægrum se vitæ reddidisse confitetur *Horslius l. 2. epist. medic.* rejectis aliquot libris tenacis & viscidæ materiæ, quod idem repetit in *problem. F. Platerus* non adjuvantibus expectorantibus, felicem vomitoriorum usum expertus est in *Observat.* Nec contrarius his est *Laz. River. in prax. med. cap. de asthm.* Quod si igitur naturâ jam prostratâ vomitoria locum habuerunt, multò magis in principio, viribus adhuc integris, laudem merebuntur. Hæc ipsa enim materiam non solum antecedentem commodè educunt, unde in *catarrhis suffocativis ex ventriculi consensu ortis vomitoria* admittit *Horslius l. c.* sed & ipsam continentem causam, pulmonum bronchiis infarctam, extundunt. vid. *Heinr. Petraum & Jonston. l. c.* Credibile enim non est, in tanta corporis commotione, ubi summa imis vertuntur, in tanta pectoris coangustatione, ut pulmonum vasa sæpè rumpantur, solam materiam hanc pulmonibus innatantem non commoveri. Sed plura de his in discursu.

XXIII. Exhiberi autem possunt hunc in scopum primò statim accessu *Syrup. de peto Querc.* vel si materia contumacior fuerit, *aq. de peto cum grilla Theophrast.* vel *Sale virrioli acuta*, quod egregium inter vomitoria medicamentum meritò suò manna vomitoriorum apud *Quercet.* audit, huicque casui commodissimum, cum subito agat, subitoque cessat, quod *Antimonialia & Mercurialia* non faciunt, quæ propterea vel hinc exulare, vel majori cautione propinari debent. *Syrupum emeticum Sale* commendat

mendat *Horst.* quem describit *l. 2. obs.* nec desunt alia huic scopo accommodata plurima.

XXIV. Contingente ita causâ feliciter subductâ, aut saltem imminutâ, ad *revellentia* superiùs recensita sine mora accedendum, quæ tam ex pharmaceutico, quàm chirurgico fonte fluunt. Et quidem præsentè sanguinis copiâ, viriumque robore, *venam aperire* ex usu erit, idque audaciùs fiat, si materia intra vasa decurrit, sive calida, sive frigida. Tundenda autem est vena brachii vel unius, vel pro re nata, utriusque, aut alia etiam, habitâ causarum ratione. Præmitti tamen *Clyster* debet ex acrioribus, v. g. *rad. ir. herb. beton. saly. major. rut. hyssop. calaminth. fem. rut. fœnic. anis. fl. stæch. arab. centaur. min. addit. elect. episc. hier. picr. & oleis ex rut. de castor. Glandes* etiam fieri possunt ex *euphorb. colocynth. scammon. troch. alhand.*

XXV. Venæsectionem si ætas aut vires impediunt, *cucurbitulis scarificatis*, cruribus, lumbis & brachiis applicitis vicem supplemus. Interim nec alia revulsionis genera negligenda sunt, qualia sunt, *extremorum frictions* oleo vel linimentò calidò, sale cum aceto aut vino in pedibus institutæ. *Ligaturis* partibus injectis furiosum humorum motum compescimus. *Purgantibus* materiam à pulmonibus avertere & ad intestina trahere, summè necessarium est. Usum hunc præstant medicamenta ex *agar. mechoac. gialapp. G. gott.* desumpta. In quo casu tamen cavendum, si materia copiosa in cerebro restagnet, præsertim tenuis, ne fortioribus eam ad motum in pulmones magis iritemus. Purgantibus qui subjungeret *diuretica*, non extra artis præcepta vagaretur. Evacuatio enim per alvum vitiosò succò, eoque copiosò, reliquias per urinam ducere jubet *Gal. 7. meth. med. c. 7.* quæ tamen rectiùs inter præservatoria locum habent. Ad materiæ *diversionem cucurbitulas* carnosis scapularum partibus affigit. *J. Cas. Claud. tract. de catarrh.*

XXVI. Si *revellentibus* parum proficitur, & materia nimio fervore debacchatur, *intercipientia* collo extrinsecus admoveri possunt ex *ol. ros. viol. nymph. ungu. de popul. infig. Gal.* intrinsecus moderatè *adstringentia, siccantia & solventia* dentur, ex *mastich. succin. terr. sigill. bol. arm. C. C. calcin.* Suspendere quoque catarrhum *G. tacamah, caranna* & aliis in empla-

ferri formam redactis & vertici admotis, non inutile est, in tali præsertim casu, ubi revulsioni ob speciales causas locus non statim dari potest. *Laudanum opiatum*, si catarrhus nimium tenuis, egregiam spondet operam.

XXVII. *Cauteria actualia* in sutura coronali tam curandi, quàm præservandi gratiâ, in *catarrho suffocativo* idiopathico commendat *J. Caf. Claud. l. d.* circa horum tamen usum duos præcipuè scrupulos movent *Autores*. I. dicunt, locum hunc impune vix aduri posse, sine metu inflammationis cerebri aut meningum *L. Septal. in animadv. de catarrh.* sine convulsione, exiccata meninge, *Chalmat. enchir. chir. l. 2. c. 27.* ex læso vel pericranio, vel dolore, aut connexione cutaneorum partium. At prudentis est Medici, hæc impedire incommoda, inquit *H. Saxon. c. 12. de catarr.* facile autem impedit ille, qui edusque inuisionem continuat, firmatò parum ferrò, donec totum in eo loco pericranium auferat, unà secedentibus non rarò ipsius ossis squamulis. Quod si enim vel minima pericranii portio relinquatur, inflammatio vix evitabitur: amotò v. totò, nihil metuendum. Nam ut nervus abscissus non convellitur, convellitur verò vulneratus: ita de pericranio quoque censendum. Dolor est momentaneus, qui sub prima ferri impressione maximus percipitur; stupefactâ statim parte, stupefit & ille; quæ omnia multiplici experienciâ se didicisse non semel pro publica cathedra confirmavit *Illustris. & Experientis. Chirurgus Patavinus Dn. D. Petrus de Marchetis. At 2.* quomodo excrementa hæc intra cranium collecta, naturâ suâ gravia ascendere, *L. Sept. l. c.* aut elevata suturas permeare possunt? *Mercur. tom. I. obs. 57. R.* *H. Saxon. l. d.* non ut gravia, sed ut attenuata & in vaporem à calore nativo versa, non naturâ suâ, sed ignis & medicamenti virtute ascendunt, & evacuantur. Memorabile hòcque loco dignum est, quod observavit aliquando *prælaudatus Experientissim. Chirurgus*, inter trepani admotionem, dum medium urgeret opus, copiosissimum pus ad ovi magnitudinem, per osseam cranii substantiam transudasse. Quod si hæc ita se habent, ut de fide tanti *Viri* nulla suspicio incidit, creditu facilius erit, catarrhalem hanc spurcitiem naturali calore attenuatam per hiantes suturas medicamenti aut aliis modis

modis evocari posse, & minori quidem labore, quàm crassum
pus hoc & copiosum.

XXVIII. *Cauteria potentialia* prioribus,, si ignem formi-
det æger, substitui possunt: laudatur præ aliis sequens: R.
canthar abscons. alis & capit. ziss. euphorb. ʒj. G. elem. ʒß.
c. acet. squillit. f. l. a. empl. si fortius expetis, malaxetur cum
ol. euphorb. *Heurn. l. I. method. ad prax. lapidem suum corrosivum*
sexcentis aliis præfert. Pertinet huc ceratum Gal. ex stercore
columbarum & thapsia.

XXIX. In senibus tamen debilius est hoc remedii genus
secund. *Aquaq.* ubi futuræ ferè obliteratæ sunt. Hinc Claudino
l. d. magis aridet *setaceum* in nucha factum, quod nullum se-
ipsò præstantius habet remedium apud *Fabrit. Hild. cent. 1. obs-*
chir. 41. et si segnius operetur. Si per consensum laborat cere-
brum ex inferioribus partibus, in cruribus potiùs cauterium
fiat, jecoris gratiâ, in brachio verò capitis causâ, ne materia
omnis per locum affectum, cerebrum, eat.

XXX. Inter particulares capitis evacuationes laudamus
eas, quæ per *errhina* instituuntur: apophlegmatis enim &
gargarismis materia ad fluxum per palatum irritatur: afflicto
verò non est addenda vel accersenda de novo afflictio. Illorum
locum tueri possunt pulv. *major. lil. convall. castor. nuc. mosch. py-*
reth. fol. nicot. naribus indira, semen nigella, quod primas ferè
meretur, si vel torrefactum & acetò conspersum, naribus cre-
brius admovetur, vel pulverisatum cum *aq. major.* aut alio liq.
mixtum attrahitur, vel ejus *oleum* interioribus narium parti-
bus illinitur.

XXXI. Capite evacuato de residua materia absumenda, & cerebro robo-
rando cogitandum. Huic scopo satisfaciunt internè in *intemperie frigida*
conserv. *beton. salv. major. ros. anth. nux. mosch. spec. diamb. dyaxylol. aq.*
serpill. c. vino. spir. meliss. lil. conv. vina meliss. rorism. salv. sassapar. & innu-
mera alia: in *calida intemperie* præstò sunt: elect. *de gemm. frig. diamarg. fr-*
diatriansans. Externè, pulveres capiti inspergantur, aut sacculi imponantur
ex *fi. ros. r. sem. coriandr. præp. santal corticib. papav. alb. G. junip. massich. Lo-*
tionibus item capitis & pedum, suffitibus & odoramentis indulgendum;
quorum materia & formulæ ubivis obvia sunt.

XXXII. *Pulmonibus,* si quas humorum reliquias, quod ex tussicula re-
sidua colligere licet, foveat, *bechicis* consulitur, habitâ tamen ratione mate-
riæ vel crassioris vel tenuioris. Hæc priùs erit incrassanda decocto *sturr.*
massich. beton. salv. tragacanth. Illa hyssop. fœnic. oxymel. simpl. Loch de squilla
c. oxym. & ammoniac. Spir. Sulphur. incidenda. Expectorationem masculè
promovent sirup. pectorales varii, *jujub. viol. ros. confect. diatragak. fr. ro-*
tula sublinguales &c. Optimus est *agaricus trochiscatus* in bolo exhibitus, si
in ore

in ore continuò detineatur. In infantibus ad expectorationem in ipso paroxysmo facilitandam, nihil divinius habetur *spermate* ceti, si magnitudine pifi in lacte nutricis dissolutum ori infantis instilletur. Pulmonibus roborandis sufficit solus *balsamus sulphur.* ad septimanas aliquot præscriptus. Eligendus autem ille est, qui ex *ol. fœnis. & fl. Sulphur.* conficitur; hoc enim præsentius pectori auxilium promittit, quàm therebinthina. Tantum in *paroxysmo.*

XXXIII. *Extra paroxysmum,* omnis generis præsidii pugnandum est, ne malum revertatur. Hinc causæ antecedentes eradicandæ, fontes generationis exiccandi, anfræ collectionis removendæ, partesque roborandæ erunt.

XXXIV. Causæ antecedentes vel in toto, vel in cerebro duntaxat aliquid sordium reliquerunt. Si in toto; præparatis, ubi opus, humoribus, & digestivis universalibus præmissis, (quod tamen ad catarrhum in genere potius spectat) evacuatio instituat, quæ peccantem materiã tenui felicissimè fit cum *manna, mechoacann. pil. aleophang. de hier. de succin. Craton. Crassa pil. coch. arab. de agarico* ejiciuntur.

XXXV. Huc irahenda sunt, quæ supra th. 25. attigimus, *diuretica,* quæ præmissa per alvum expurgatione serositate residuam per urinarias vias abducunt: Inter omnia palmam merentur *Spir. salis & therebinth.*

XXXVI. *Sudoriferis* suis quoque honor debetur, quæ materiam catarrhosam laudabiliter resolvunt, & ad ambitum protrudunt. Procurandum igitur est, ut sudores vel sponte suã sæpius fluant, vel medicamentis provocentur. Ea autem temperatiora sint, aut sibi *guaia, sarsapar.* aut similib. uti libet, in constitutione præsertim cal. & sicca, cichoraceis & humectantibus aliis castiganda erunt. Utile est antimon. *diaphoret.* vinum *chamedriæ.*

XXXVII. *Fontes generationis & collectionis,* ne nova indies excrementorum scaturigo sequatur, & exiccandi sunt. Quod sit, si dyscrasiam partium y. g. cerebri, ventriculi, epatis, &c. corrigamus, obstructions solvamus, si quæ sunt, & amissum singulis naturale robur pharmacie aut dietæ ope restituamus. Medicamentorum hunc in finem cerebro commendatorum catalogum jam antè dedimus. Cæteris partibus quæ conveniunt, adducere brevitatis amore superfedebimus. Consulantur *Præticorum* de his volumina.

XXXVIII. Ad *dietam* delabimur, in qua omnis ferè præservationis cardo vertitur. Parciores tamen erimus, ne quæ multis in locis hæctenus studio interspersimus, tædiosè hic repetamus. *Aër* ergo quærendus est temperatus, nullis austrinis aut aquilonaribus ventis adulteratus: radii Solis & Lunæ præsertim, omnibus mediis excludantur: quanta enim Lunæ in humoribus movendis vis sit, fidem faciunt catarrhosi, qui ex horum commotione, tanquam ex ephemeridibus, instantium Lunæ *Phæses* & tempestatum mox futurarum præfagia colligunt. *Cibus* ventriculum ne oneret, cavendum, præprimis vilcidus, frigidus, vaporosus. Semifaturum à mensa surrexisse probatur: etiam singulis septimanis semel se cœnæ subduxisse expedit. A sumto cibo semina coriandri, anisi, fœnic. saccharo incrustata, vel cydonia aut pyra cocta stomachum claudant. *Potus* sit parcus, medicatus potius, quàm alius; extra mensam nullus. Excretionis quævis, alvi præsertim, liberæ sint. Sola enim alvi suppressio apud *H. Saxon.* catarrho generando vires dedit. Si igitur difficilior erit alvus, medicamentis lenientib. ad officium reducatur. *Motus* tam animi, quàm corporis intra mediocritatis limina consistant.